

2

DISSERTATIO
DE
PROTYPORUM IN ARTIBUS
VTILITATE.


QVAM
AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM
BENEVOLO ADSENSU
PRO
RECEPTIONE IN EUMDEM
PUBLICE DEFENDET
M. CAROLUS LUDOVICUS POERSCHKE.

RESPONDENTE
REINHOLDO BERNHARDO JACHMANN,
Reg. Bor. Th. C.

CONTRA OPPONENTES
CHRISTIANUM GUSTAVUM FRIDERICI,
Pfeften. ad Landsberg. Bor. Th. C.

JOHANNEM BENJAMINUM JACHMANN,
Reg. Bor. Med. Cand.

DIE XIII. APRILIS M. DCCLXXXVII.
IN AUDITORIO PHILOSOPHICO.



REGIOMONTI,
Typis VIDUAE IOANNIS FRIDERICI DRIESTII.

VIRIS ILLUSTRISSIMIS,
REGNI BORUSSICI PROCERIBUS AC MAGNATIBUS,
MINISTERII, QVOD STATUS DICITUR, COLLEGIS
DIGNISSIMIS

V I R I S

GENERIS NOBILITATE, MERITORUM AMPLITUDE
MAXIMOPERE CONSPICUIS

VIRO ILLUSTRISSIMO

COMITI de GROEBEN,

SUPREMO REGNI BORUSSICI PRAESIDI PROVINCIALI, &c.

VIRO ILLUSTRISSIMO

COMITI de SCHLIEBEN,

SUPREMO BORUSSIAE BURGRAVIO, &c.

VIRO ILLUSTRISSIMO

COMITI de FINCKENSTEIN,

BORUSSIAE CANCELLARIO, &c.

VIRO ILLUSTRISSIMO

L. BARONI de KNOBLOCH,

ACADEMIAE REGIOMONTANAE CURATORI, &c.

VIRO ILLUSTRISSIMO

COMITI de DOEHNHOFF,

SUPREMO BORUSSIAE MARESCHALLO, &c.

PATRIAE PATRIBUS

ACADEMIAE COLUMINIBUS, MAECENATIBUS

AC

PATRONIS SUIS,

DEVOTISSIMO CULTU EXCIPIENDIS

HANC DISSERTATIONEM

IN

ANIMI CULTUS AC REVERENTIAE PLENI

TESSERAM

SACRAM ESSE VOLUIT

AUCTOR.

DE PROTYPORUM IN ARTIBUS UTILITATE.

Cuius arti est summum quoddam, ad quod consequendum vix quidquam præceptis vel optimis proficitur, sed præsertim opus est adiutrice natura. Huic voci naturæ, in artibus, duplex subiicitur sententia. Prior est, ingenium ad rem efficiendam aptum, seu facultas homini innata quæ nos excitet & acuat ad artem quamdam. Quam vero significationem nunc mittimus, ut alteram, res ipsas ab arte exprimendas complectentem, perpendamus. Non quæcunque res sunt dignæ quæ ab arte reddantur, sed delectus accuratus in iis est habendus. Hoc pacto ab opifice distinguitur artifex: quales res graue quiddam & gloriosum, ad extollendos & meliores reddendos animos habent, tales ab artifice exponuntur: opifex contra, quilibet vel leuissimum sibi forte oblatum, nullo adhibito delectu, exprimens, ad summum veras rerum proponit imagines, &, licet bene delegerit, propriæ expers est inuentionis. Artifices perfecti nouerunt penitus *leges* quas natura posuerit &, vt ad summum suum perueniret finem, semper serauerit. Quarum legum cognitio multum laboris habet & difficultatis, naturæque speculatores, quibus fuerit animus artium præcepta literis tradere, sæpenumero frustra erant laboribus confecti. Longa est & ardua institutio artium si credas; natura enim nos minus ad eas genuit, adeoque in iis versari volentibus promptum est, vt, vere intuenti, mirum sit illud magis, bene eas a tam multis teneri. Quis posset, si poetices præcepta exsequi iam suffecisset, carminum auctor euadere. At quum natura vatibus faueat ac, quod paucis contigerit, eosdem manu ducat necesse est, magni poematum scriptores semper in solitudine versabuntur. Res digna est quæ expendatur, artium disciplinam, cum earum iam summa essent confecta specimina, tum demum esse traditam. Leges a ratione conditas, seu naturæ vires haud prius, quam eas natura ipsa exhibuerit, nosse possumus. Aristoteles composuit poeticam disciplinam quam traditam debuit Homero: qui si ante non fuisset neque ille vnquam artem esset

A

pro-

profecutus scriptura. Tametsi hæc a centenis millium eruditorum
 est lecta, attamen Homerus omni cœtu poetarum caret. Non
 dubitarunt docti homines, qui cuperent artis studiosos in altissimum
 euehere gradum, præceptis nimium tribuere. Rapius cum
 Demosthene Ciceronem comparans, huic dat palmam. Demo-
 sthenem, ait, minus acute mores animique hominum adfectus
 perspexisse, quandoquidem, cum orationes haberet grauissimas,
 nondum Aristotelis rhetoricen, a Cicerone sedulo versatam, legis-
 set. Præclarior est de Cicerone Quintiliani iudicium: "Mihi vide-
 tur M. Tullius, cum se totum ad imitationem Græcorum contulisset,
 effinxisse vim Demosthénis, copiam Platonis, iucunditatem
 Isocratis. Nec vero quod in quoque opimum fuit, studio conse-
 cutus est tantum; sed plurimas vel potius omnes ex se ipso virtutes
 extulit, immortalis ingenii beatissima vbertate." Rectius contem-
 planti ideo patebit, Demosthenem & Ciceronem, ex altioribus
 fontibus & diuinioribus, quam ex disciplina rhetorum, artem hau-
 sisse suam. Regulas licet accuratissime sciamus ad quas effingen-
 dum sit opus: tamen ei certe parum sufficimus perficiendo. Præ-
 ceptorum in libris constitutorum cognitionem hodie esse necessa-
 riam, ego quidem non infitior; nam siæ regulis alte animo infi-
 xis, procreantur monstra. Olim forsitan non item. Maximus vates
 vix ab vlla magistra, nisi natura, fuit edoctus, qui perenne suum opus
 perficeret. Per morosos homines si mihi liceret, prope dicam,
 recentem naturam feliciora progenuisse & erudisse ingenia; nunc
 autem senescentem & segniorum, alumnis primis, vt instituunt
 tironem, mandasse negotium. Quod non omnino quidem natura
 illis imposuit, verum vt, cum iecerit fundamenta, id iidem transi-
 gant. Naturam solam si sectemur, asperi sumus & horridi: pro-
 typa, quantacumque sint, sola cum exprimamus, peruersi æmuli
 euadimus & infirmi. Nemo non videt, exemplaria si ego laudibus
 efferam, quasi vestigio temporis orta, me tantum illa, quæ poësin
 in cælum euexerint, censere. Addere possem eloquentiam, si
 istam, quæ foro, causisque & suggesto celebretur, seiunxerim.
 Ad quam tanta vitæ communis, rerum ciuiliū, totiusque ambitus
 doctrinæ requiritur cognitio, vt quiuis facile intelligat, me illam
 eloquen-

eloquentiam, cuius Iuculen'a apud Homerum exstent specimina, innuere. Poesis, ingenuarum artium antiquissima, magis a cœlesti spiritu, quam ab artis præceptis videtur proficisci. Verba sunt Platonis in dialogo Ione: ποιηται ου γαρ τεχνη ταυτα λεγουσιν, αλλα θεια δυναμει . . . θεια μοιρα τουτο μονον οιστε εκασος ποιειν καλωσ, εφ' ο η μουσα αυτον αρεμωσεν. Quod poetice quidem est dictum: hodie enim nemo, licet ingenio polleat felicissimo, nisi præcepta artis & eius exemplaria bene nouerit, insignis euadit artifex.

* * *

Artium liberalium duo sunt genera. Prius, naturam reddens descriptione, complectitur poesin & eloquentiam. Alterum, veris naturam exprimens simulacris, continet, quamquam nunc modo pictoria ars & statuaria reputabitur, complexu suo ceteras. Græcorum picturæ perierunt omnes, quarum præstantia, e priscorum præconio scriptorum, atque ex artibus cognatis, colligitur. Pictoris quidem & statuarii esse videtur, modo naturam ante oculos constitutam effingere; quod vero tantum origo est artis, cui, si adspirat ad perfectionem, longius est procedendum. Qui in artis gradum altissimum cupit ascendere, primum adeat naturam; deinde præcepta disciplinæ obseruet; postremo vtatur exemplaribus & hæc, in quibus illa præcepta sunt collocata, simul cum natura exprimat. Causas nonnullas, cur sine protypis in artibus parum proficiamus, ex artium natura sumtas, adferam.

I. Antiquissimi voluerunt reddere naturam, verum non poterant.

a. Natura nimis est ampla, quam breui temporis spatio complecti nequeamus. Infinitus partium numerus impedit animum nostrum, quo minus satis illas cognoscamus: quas, cum confuse & permixte iacent, haud prius, quam singulas bene perspectas a ceteris separauerimus, disponere possimus. Obscuritas & longinquitas e qua res sunt contemplandæ, deterret mentem amatoris

artium: sed exemplaria, quæ dispersas atque infinitas naturæ res, ratione ac distributione, sub vno aspectu ponunt, inuitant ad imitationem. E vera rerum adumbratione atque explicata descriptione, nos possumus naturam, quasi præsentem, cognoscere. Quod parit vtilitatem, vt omnia, quæ sint notatu digniora siue olim perspecta, numero cognoscantur, ne iam visa denuo excutiendo, actum agatur, verum vt liceat noua consuetari. Quis non laudet hanc solertiam quæ nobis res multas, antea leui aspectas animo seu potius non perceptas, reddat eximias. Præterea, pictori si consilium fuerit felix & iudicium, imagines gratæ plus valent, quam res ipsæ. Nam hic iudicium & accurata partium comparatio, melius atque natura, docet. Duo igitur sunt quibus formamur modi: prior est difficilior nec satis firmus, quum e natura cogatur quid sit necessarium, in quo eligendo summa sagacitas, tantumque ingenium, quod vix vni contigerit, conspicitur: alter vero magis idoneus vsitatusque modus in operibus versatur, in quibus delectus iam sit adhibitus, & quæ facilius quam immensa natura, possit comprehendere.

b. Nimis cito rerum imagines animo obuersantes redduntur obscuræ, & ob memoriæ infirmitatem elabuntur, priusquam illas effingere valeamus. Qui fieri potest quin imago in mente efficta, dum menses ante simulacri consummationem abierint, tenebris circumfundatur. Quantum enim momento quouis corpus nostrum, tantum etiam rerum, quas sensibus percipimus, vniuersitas, immutatur. Nemo igitur potest eandem rerum formam, sub qua eas perceperat, repræsentare. Quapropter res istic vbi non amplius mutantur, & vbi propius accedimus ad naturam, imitemur. Quicumque bonus pictor seu statuarius est artis quamdam adsecutus partem, quam quidem traderet stabilem fixamque posteris, qui reliquas partes addendo, in gradu altissimo collocarent artes.

c. Disciplina mechanica morabatur artifices. Tametsi pictor & statuarius numine sunt adstrati, artis summa proponentes specimina: tamen eorum partem magnam sibi corporis vindicat habilitas. Artem auspiciens monetur ideo, primum oculos edoceat, vt accurate quiduis percipiant; deinde manum exerceat vt sequatur,

tur, ac quæ vellet animus effingat; postremo se accingat ad opus cetera cum diligentia. Præceptis quidem pares sumus discendis adhuc ætate proveciore; sed teneris iam annis manus & oculi recte sunt exercendi: nam vix fieri potest, ut ex prisca & corrupta senes redeamus consuetudine. Difficile discitur lucis colorumque temperatura atque optica, quæ e tabula melius quam e rerum natura cognoscitur. Vfus docet, picturam rei minori cum molestia, quam rem ipsam, a tironibus exprimi. Huc accedit exploratus instrumentorum vsus, quem non possumus non ab aliis addiscere.

Contemplemur artis statuariæ exordium apud Græcos, quos tota posteritas intuebitur stupefacta, illic absque forma lapides quadrati representabant deos, qui teste Pausania Pheris vrbe Achaica colebantur. Procedente tempore *ανθρωπομορφα* fingere cœpere, cum nihil magis egregium quam humanam exprimi posse formam viderent. Et si eam sunt imitati, attamen rudem indigestamque molem, quæ magis ad quodlibet monstrum, quam ad hominis accederet speciem, exhibuere. Dædalus, qui hominis figuram melius atque alii reddiderat, in primis celebrabatur. Cuius statuæ posteris quidem non videbantur ambulantes, licet Socrates in dialogo Menone iuserit, eas aufugere solere, nisi fuerint religata. De lento artis statuariæ progressu testis adest Palæphatus. *οι τοτε ανδριαντοποιι και αγαλματοποιοι κατεσκευαζον ανδριαντας συμπεφυκοτας τους ποδας. . . . εποιουν. Δαιδαλος δε πρώτος εποησε διαβεβηκοτας τον ένα ποδα.* Sic ab humillimo gradu ad summum in quem Phidias & Praxiteles assurrexere, statuarii tarde sunt progressi, & alii ab aliis superati. Idem ipsum videmus de pictoribus, quorum maximus non subito ortus sed multis ab antecessoribus est instructus. Huic adsertioni indicio est Raphael, qui cum adisset Romam curamque omnem atque operam ad antiquarum statuarum contulisset studium, tum demum artis summum attigerit fastigium. Quo meliores ei contigerunt archetypi, eo magis in arte profecit.

II. Posteriores quamvis artem exprimendi naturam, callerent, nesciebant, id quod esset optimum, eligere.

α. In naturæ cognitione, ad exploratam rerum dispositionem probe percipiendam, haud satis longe procefferant. Ignorabant quonam loco aliquid, vt delectationem nobis adferat, sit ponendum, quod neque ab aliarum rerum vicinitate impediatur, neque alias, quo minus ab iis contemplantis augeatur animus, impediat. Naturæ partes vix tam perfecte sunt ordinatæ, vt artifices ad propositum suum veniant, & omnia, quæ torpentem neque excitent animum neque oblectent, facile reiiciant.

β. A vili id quod est egregium, non poterant segregare. Rudem naturam & iucundam & iniucundam, illi, recto artem suam consilio regendi imperiti, effinxere. Non satis est, quaslibet res ad hunc modum, vt eas quasi præsentem videamus, simillare, nisi eadem animum nostrum viribus, humanitate, probitate ornent, & voluptate perfundant. Qui potest hoc fieri, si res quæ viuæ sint indifferentes seu contemnendæ, si iumenta siue homines, quibus nihil insit dignitatis nec pulchritudinis, pingantur. Non semper tamen res foedæ, si in iis pulchrum sit propositum, sunt ab artifice reiiciendæ. Sed picturis, in quibus res quæ nihil aliud quam odium & tædium excitent sunt pictæ, ne oculus quidem pascitur. Si quis macellum, Marsyam qui ab Apolline deglubitur siue nosocomium, reddat, in his imaginibus multi quidem sunt stupidi, sed prudentiores obscuram pictoris diligentiam despiciunt. Alia peruersæ artis genera inhonesta nunc mittimus.

γ. Fias cuiusuis rei iis fuit ignotus. Ignorabant id quod efficiat, vt res sit completa, quæ loco eo quo sit constituta, optimum quiddam producat. Ad quod certa partium requiritur forma, quæ si desit, res nequit esse perfecta. Hanc præclaram formam, internæ bonitatis testem, siue hanc rationem qua res summum suum finem possint attingere, nos diuturnus tantum vsus edocet. Antiquitatis artifices, qui pulchræ naturæ essent propiores, externum ab interno haud separantes, sed arctissimo vinculo vtrumque coniungentes, melius ac nostri, elatiorem animi indolem cum corporis figura, accurate exprimebant. Græcus artifex qui Martem effinxisset & Neptunum amicis suis in prælio open ferentes, hosce eadem specie, quæ ideæ ab vtroque conueniret conceptæ,
pro-

propofuiffet. Quisquis a Neptuno *ενοσιγαιω* Martem *βροτολοιγον*, *μιαιφονον*, *τειχεσιπλητην*, quamuis alter alteri fit fimilis, facile difcerneret. Homerus ingentem materiam omnium ſæculorum præbuit pictoribus, optimeque his monftravit, quo pacto externa dignitas refpondere debeat internæ. Vnumquemque heroum pro animo eius & virtute figuravit. Ajax *πελωριος ερμος Αχαιων* strenuus quidem eft incredibili corporis robore bellator, fed, quia Achilles omnes fortitudine antecedit & viribus, Ajax eft etiam maieftate corporis inferior. Cum ab Agamemnone Vlyffes eft diuerfo ingenio, hic eft *μειων μεν κεφαλη αγαμειμονος Ατρειδων*, *ευροτερος δωμοισιν, ιδε στερονοισιν ιδεδασι*. Talia protypa fibi proponat artifex, ab iisque difcat arctum vinculum, quo corpus contineatur & animus, cognofcere. Quodfi artifex modo a natura quærat quomodo quæuis pars fe habeat ad totam, quæ cognitio multorum fructus eft ſæculorum & virorum eximio ingenio præditorum, diu hallucinabitur & labetur. Maximi igitur facere debemus artificem, qui nos recta via & ad naturam & ad artem duxit.

Imitatio naturæ ſiue artis perfectio, vilior quidem quam natura ipfa videtur, fed hac lege: naturam tales res habere, quales reddere nequeat ars; cui foli contra, tantum refpicio ad Græcos, gloriofa prouincia, pulchritudo, fit mandata. Quæ a natura gignantur, ea multis ſunt caſibus obnoxia, cum artem nihil impediât. Poeta qui ſapientiæ exemplar proponit, omnes res ſic poteſt difponere, vt quæuis occaſione viri ſapientia appareat. In rerum natura talem virtum nunquam offendimus, vbi res non conueniant, quid? quod ſæpe impediât, quo minus vir ſe poſſit præſtare ſapientem. Nec natura tam pulchros homines, eadem partium proportione qua eos antiqui effinxerint ſtatuarii, progignit; neque omnia quæ quærimus ad venuſtatem, vno in corpore reperire poſſumus: ideo quod nihil ſimplici in genere, omnibus ex partibus perfectum, natura expoliuit. Itaque, verba ſunt Ciceronis, tamquam ceteris non ſit habitura quod largiatur, ſi vni cuncta conceſſerit, aliud alii commodi, aliquo adiuncto incommodo, muneratur. Natura ſemper oberunt res ſeu vires repugnantes, quæ regi poſſunt ab artifice. Obiiciatur, licet, nos a natura, a qua

exemplum nullum omnibus numeris suis & partibus expletum procreetur, nimis recedere: tamen, cum maxima petens maior erit minora sectante, exemplaria imitemur perfectissima. E tota rerum natura, ars vndique partes colligit pulcherrimas: propterea artificis imagines non possunt non pulchriores esse naturæ imaginibus, quæ tot externis vexentur rebus, & vbi sint bona mixta malis. Sicuti aurum purum fossile vix reperitur, quod a scoriis est purgandum: ita & artifex bonum e deterioribus eruit. Igitur ars, tantum e natura seu e nobis hausta, est vitiosa, & primi ita comparati fuerunt artifices, vt alii vel hoc vel illud ignoratione omitterent; alii quæ prauè elegissent, male formarent.

Qui superioris ætatis opera recte imitari cupit, sic ea diiudicet vti eorum auctores naturam diiudicarunt. Vtatur pulcherrimis exemplaribus eaque nobis reddamus familiaria; at deinde, cur ita ea sint confecta, quæramus. Antiquitatis opera, si modo ad id quod in nobis efficiant respicimus, sine dubio protypa nobis præbent optima. Hæc sunt ad animum virilem formandum efficacissima, vt meliores simus ciues, viri politici, fortesque milites. Veteres respexerunt vitæ communis vsum, vtilisque res, quas nos modo meditatur, gessere. Nihil ad priscorum laudem magis confert, quam quod quisque, qui iis recte sit vsus, animi viribus, ingenio, humanitate & liberalitate, ceteris, qui modo recentioribus dederint operam, excellat. Natura nostros quidem haud tarditatis damnauit; sed eos antiqui, qui summum in artibus peterent, non tam ingenio quam proposito superarunt. Quod in priscis rectum est & pulchrum non potest quidem demonstrari, verum in primis sensu id percipitur interno, cuius rectitudo non firmis argumentis, sed multorum convenientia & regulis non sat distinctis atque exploratis, nitatur. Contentionem vetustorum cum nostris si feceris, prioribus multum addit dignitatis, quod tot sæculis superstitis, ab eruditissimis viris, seuerè sint examinati. Suo fundamento, axiomatis, quæ est fundata scientia, a serie annorum neque euertitur neque stabilitur: at opus experimentis examinandum & e proportione quam ad vniuersum hominis ingenium habeat æstimandum, e diuturnitate qua floruerit, multum consequitur aucto-

auctoritatis. Hic sæculorum omnium consensus, causa satis est iusta, vt illos præcipuo honore habeamus. Absit autem vt temere omnia tribuamus prisca, nostris contra, quasi deterioris progeniei hominibus, prorsus denegemus: profecto non in iis solis inerat viuida ingenii vis & virile animi robur. Græcorum opera nimirum vocantur pulchra & perfecta: attamen res nulla, quæ ab homine efficiatur, tam perfecta est, quin fieri possit perfectior. Quum vero in opere quodam nihil imperfecti animaduertimus, etiamsi supersint hic illic maculæ, hanc imaginem perfectionis, dicimus pulchritudinem.

Nemo melius est adsecutus pulchritudinem atque Græci, e quorum operibus, vt e fonte est deriuanda. Hæc roboris animi est testis, hominique in quo conspicitur addit dignitatem. Ideo tantopere delectamur antiqui operis, singulari artificio perfecti, contemplatione, si rei consensus cum ratione nostra, siue cum idea quæ oritur e cognitione consilii ad quod res sit composita, appareat. Huic explicationi pulchritudinis accedit Mengs, cum eam dicit esse rerum perfectionem & absolutionem, quæ percipiatur adspectu. Num verus elegantiae amator ferre potest artificem, res quibus nihil perfecti inest seu pulchri, reddentem. Non oculi solum dolent, cum coram pulchri conspicitur oppositum, quod secundum Aristotelem in animalibus est το ασχηρον, in domibus το μοχθηρον, sed etiam animum vtilitatis absentia male habet. Adiungit Quintilianus pulchritudini vtilitatem. "Surgentis, ait, in altum cacumina oleæ ferro coarcebo, in orbem se formosius fundet, & protinus fructum ramis pluribus feret. Decentior equus, cuius adstricta sunt ilia, si idem velocior. Pulcher adspectu sit Athleta, cuius lacertos exercitatio expressit, idem certamini paratior: nunquam vera species ab vtilitate diuiditur." Sic videmus & intellectui placere pulchritudinem, quæ cum idea de rebus formata consentiat: & sensibus, ob comoda quæ ex ea gignantur, esse oblectationi.

Et si Græci æternis sunt euecti laudibus, & quidem merito, attamen nemo existimet, eos nihil nobis, quod perfici possit, reliquisse, omninoque nostrum esse, illorum insistere gradibus. Num possis eum, cuius vestigia vtique persequenda putes æquare,

tu, qui dum semper sequaris semper sis posterior. Hæc peruersa
 prisorum imitatio nobis iniunxit detrimentum, cum partes modo
 singulas exprimere, non vero animum nostrum ad mentem qua
 illi opera sua fecerint, appellere sustinemus. Quo fit, vt minus
 sanguinis ac virium nostra opera habeant, quum illis natura
 sublit, & vera vis, & imitatio ad pulchrum commodata propo-
 situm. Pauci de recentioribus perfectionis seu pulchritudinis
 viam ingressi, solummodo illud quod sit placens sunt consecuti.
 Immo vero artifices nostri raro quæsiuere perfectionem, & eorum
 qui eam initio quærent plurimi, mox ducti vana gloria, cupi-
 ditate monstrari digito stupidorum popularium, superstitionisque
 circumspectione, & lueri blanditijs impuls, ab incepto destiterunt.

*

*

*

Quod ante dictum est de artibus ex imitatione naturæ ortis,
 & in reddenda rerum similitudine positis, nos in iis seu parum
 seu nimis tarde proficere, idem de artibus quæ in describenda
 natura versantur, non potest affirmari, cum poësin & eloquen-
 tiam adiuet facilitas, ea quæ animo concepta habeamus, protinus
 sermone exsequendi. Neque exercitatio in recto instrumentorum
 vsu, neque ceterarum rerum, quarum ope in artibus facimus pro-
 gressus, observatio nobis officit. Nihilo tamen minus adest alia
 difficultas. Linguae scilicet, morumque humanæ vitæ, & rerum
 cognitio oppido est ardua. Et in his artibus multa opus sunt
 experimenta, quæ pura non compensari possunt ratione. Atta-
 men poësis, cum passim extent vates, qui nullis edocti magistris
 opera confecerint immortalia, magis ab ingenio proficisci videtur.
 Nostrum sane non est, e rebus quas modo conuicimus, facere iudi-
 cium, vsusne sit Homerus opera aliorum qui ipsum antecesserint,
 nec ne. Recensentur quidem in Homeri vita poetarum nomina
 & carmina e quibus hausert sat multa: at id quod traditur magis
 fabularum præ se fert, quam veræ historiæ, speciem. Nemo du-
 bitat cum poësis ætate proxima sit humano sermoni, quin multi
 iam ante Troiam euersam vixerint carminum auctores. Attamen
 non

non confirmari potest argumentis, poësin similiter ac ceteras artes gradatim adscendisse. Homerus non solum primus, quoad respicere in antiquitatem licet, sed etiam sæculorum omnium maximus fuit poeta. Quem semper veteres nobilissimum habuere doctorem, idemque omnes futuræ ætatis docebit homines, non quia docere voluit, sed quia natura docet. Commendauit Homeri studium grauissime ipse Socrates, αναγκαίον εἶναι, αἴτ' εἰ τε ἄλλοις ποιηταῖς διατριβεῖν πολλοῖς καὶ ἀγαθοῖς, καὶ δὴ μάλιστα ἐν Ὀμηρῷ τῷ ἀριστῷ καὶ θεοτάτῳ τῶν ποιητῶν, καὶ τὴν τούτου διανοίαν ἐκμανθάνειν, μὴ μόνον τὰ ἐπη ζῆλωτον εἶναι. Intelligimus quam necesse sit, vt natura cum eius exemplis coniuncta, nos instituat. Quantum debemus antiquis auctoribus qui, tot quam remouerint difficultates, rectam nobis, quam ipsi sint secuti, viam commonstrarent. Idcirco hi vsquequaque florere, cum recentium plerique, qui illorum διανοίαν negligenter, atque inter verba modo hærent, merito intercidunt.

Pauea tantum adhuc, nam plurima iam ante sunt transacta, addentur de commodis, quæ de poëseos capimus exemplaribus. Sine protypis in natura describenda ignari sumus quomodo agendum sit. Difficillimum est opus, hominum mores siue characteres dignoscere: quod si quis bene perfecit, summa laude est dignus. Vt in graphice nihil est gloriosius quam imaginem humanam, notasque animi externas, accurate reddere: ita & in poësi nihil arte representandi characteres est excelsius. Ceteræ naturæ fines, si cum finibus humanæ mentis conferantur, perquam sunt angusti. Leges, secundum quas inanimata natura moueatur & agat, sunt immutabiles & cœtissimæ: illæ leges vero, quibus humanus regitur animus, multo minus sunt stabiles & firmæ. Hic loquor tantum de modo quo ex homini appareant: non sunt sed videntur inconstantes, quæ æque certæ sint quam inanimatæ naturæ leges. Ob intellectus nostri infirmitatem, illas minus comprehendere valemus, quo fit, vt humanæ mentis cognitio omnium sit artium difficillima. Qua arte Homerus, qui in eadem neminem sibi habeat parem, omnino est diuinus. In eius opere, tamquam in speculo, hominum vitam contemplantes, discimus actiones moresque humanos effingere. Perpendamus eius heroes, res gestas, eorum orationes

atque facta; omnia hæc alio modo non potuisse fieri, videbimus. Quam acute in turba heroum, animum vniuscuiusque & indolem distinxit. Haud admodum difficile est a forti pavidum, vel a prudenti incogitantem, discriminare: verum a fortibus fortes, a prudentibus prudentes, ita, vt ab alio alius perfecte differat, discernere res est magna. Apud Homerum, cuius de ingenio, consilioque & sapientia in hac re vt est dignum dici non potest, nemo heroum est similis alterius. Quis non miratur, Homero vnum & alterum poetam esse antepositum, a viris ingenii acumine & eruditione insignibus. Qui, quod in quauis arte sit summum & difficillimum, non satis perpendisse, neque cum carminis summa summam, at cum parte partem, cum simili simile, contulisse videntur. Qua ratione patet, qui sit Homero Virgilius prælatus, ab Erasmo, Scaligero, aliisque doctrinæ principibus, qui in Maronis poematis, imaginem quamdam esse censerent superiorem imagine aliqua simili in operibus nostri Græci vatis, cui saltem laus inuentionis debetur. Quantum vero pictor heroum res gestas probe effingens, pictore, qui modo regionem scit in tabula similitate, maior est: tantum & Homerus, hominum indolem accuratissime reddens, maior est carminum auctore, naturæ solum phænomena externa exprimente. Attamen neque in arte inanimam proponendi naturam, Homerus ab inferioris æui poetis est victus. Hic præcipue accurate docuit, quomodo terminos mundi sub oculos eadentis, cuius ambitus humanæ menti nimis sit angustus, liceat phantasæ transgredi. Adiunxit Homerus nostræ rerum naturæ quasi alterum mundum, quem, cum ex eo qui percipiatur aspectu ortus est, nemo audet incredulus odisse. Nobis igitur propositus est archetypus, qui nos melius, atque inuentio nostra, instruat. Culusuis phantasia peior sit licentiæ blanditiis, quibus si non resistimus, abripimur & nihil tam portentosum est & monstruosum quod non amplectamur. Quia cum hoc mundo, cui certi fines & termini haud transgrediendi sunt constituti, nouus ille mundus ab imaginatione productus, cognationem habere debet: nemini licet quidquid lubet, quod ineptas illas barbararum gentium progenerauit imagines, in carminibus suis fingere. Poeseos protypon nobis est

dux

dux & monitor, ne a vera aberremus via, neque in aspera veniamus diuerticula. Præterea illud exemplar nos elegantiaæ seu gustui, in quo perpetuo rueremus, studere docet. Non in ratione solum, sed etiam in sensibus, gustus nititur fundamentum, ad quod recte ponendum, diuturnis opus est experimentis. Quorum incredibilem copiam Græca nobis offerunt exemplaria, quæ nos accedere, & omne quod ferum sit in nobis & inconditum exuere, oportet. Gustus causæ in proprietatibus animi immutabilibus sitæ, omnibus in sæculis sunt eadem: attamen magna est diuersitas in formis fortuitis istius quod sit pulchrum. Formæ quæ in veterum operibus conspiciuntur discedant, licet, ab æui nostri formis, sed res ipsæ, quæ iis subsunt, non variantur.

Progressum, cum totius humanitatis, tum artium, studium istud inauspicatum, vt id ad quod natura nos non genuerit fiamus, vehementer retardat. Quod efficit, vt tanta turba sit ineptorum, qui neruos suos in negotiis ad quæ non sint destinati, intendunt. Hoc loco vclim copiosius cautionem adhibendam laudare, ne quis sibi auctores, quorum genius valde abhorreat a genio suo, sumat exprimendos. Frigidi isti sese torquent, vt Homerum seu Pindarum, quibus inest vera vis diuina, imitentur. Socrates ait: *οἱ δὲ ποιηταὶ οὐδὲν ἀλλ' ἡ ἐρμηνεύειν εἰσι τῶν θεῶν.* Quidni putem, cum veteres poetæ deorum interpretes fuerint, etiam nostros homines qui illos velint adsequi, non omnino numinis expertes esse debere. Illud igitur inprimis est inspiciendum, ad quod poeseos genus nos natura finxerit. Postea nemo sit immemor, a natura plerisque certos annos esse præfinitos, qui dum vigeant nobis licet esse poetis; cum præterierint, is qui bene sitæ consultit gloriæ receptui canit antequam in senectutis veniat insidias vbi non, quamuis gestiat, in portum integra naue perueniet. Cum nunquam sit factum, vt vnus vir cunctos auctores, ob infinitam humani ingenii varietatem, profus intelligeret: quilibet ergo sibi ad imitandum libros, in quibus cum laude possit versari, eligat. Habent singula mortalium ingenia



suum quiddam & genuinum, quæ res tantam habet vim, vt nos ad hoc aut illud imitationis genus natura compositi, frustra nitamur ad diuersum.

Artis nullius studium tam liberaliter amplis & magnis adfcit præmiis, nosque auctiores dimittit & præstantiores, quam diligentia quæ veteribus adhibetur. Prudentis est, quoniam post reginam naturam primas tenet antiquitas, id quod in hac sibi sit optimum, si possit, suum facere. Prisci scriptores bene præparato pectore sunt tractandi & repetendi, ita vt lectio non cruda, sed multa iteratione mollita & veluti confecta, memoriæ imitationique tradatur. Verum vt nusquam, etiamsi monitore vtamur & præmonstratore, acre iudiciū abesse debet; ita & nobis, qui ad veteres animum appellimus, ne falsis pro genuinis vtamur, prudens adhibendum est iudiciū. Nos neutiquam tenuem esse notam ducimus, vim præstantiæ priscorum inesse monimentis, quæ, quamuis ea sint lacerata ab annorum serie & vitiata, tamen sint dignissima, quæ tota imitetur posteritas. Verum enim vero absit admiratio ista excors, nec humanitatis cultori persuasum sit, omnia quæ magni illi egerint viri, prorsus esse completa. Sententia, antiquos perfectos fuisse homines cunctæque rectitudinis normam, valde aliena est a prudentis dignitate. Recens artis amator, si quælibet putet in illis sancta & religiosa ad quæ cum stupore vt in templo horreat eaque tamquam reliquias diuorum superstitione exosculetur & adoret: idem multis profecto vitiis sese facile præbebit obnoxium, nihil in exemplaribus suis improbens neque reprehensores admittens. Cui, sane, vera videntur verba in Philebo: *οἱ μὲν παλαιοὶ κρείττους ἡμῶν, καὶ ἐγγυτέρω θεῶν οἰκούντες* . . . Nec possum ad credendum induci, maximos antiqui temporis viros, de suis arroganter sensisse operibus & omnia, si ea cum vi immensa ingenii sui diuiniora spectantis compararent, immortalitate digna iudicasse. Homerus ipse videtur non tam æternæ cupidus gloriæ, quam numine cui nemo resistere potest impulsus, amore in amicos, præsentē fama, & forsan lucello adactus, sua fecisse carmina.

mina. Quosdam quidem excitauit dictum Pindari, τετελεσμενον
 εσλον, μη χαμαι σιγα καλυψαι: attamen plurimi magis familiari-
 bus quam potteris scripserunt videntur.

Qui modo humani nouerit ingenii rationem, is perspicit,
 diutinam experientiam fere nouam rerum naturam, a superioris
 aevi hominibus ne quidem coniectatam, produxisse. Semper lice-
 bit cognitionis nostrae terminos proferre. Nam si sententia fuisset
 omnibus, neminem longius quam illos, qui longissime essent pro-
 gressi, posse progredi; illi ipsi qui processere longissime, non fuisset.
 "Verum, ait Fabius, vt transeundi spes non sit, magna
 tamen dignitas est subsequendi." Tribuamus, licet, recentiori-
 bus palmam maioris eruditionis, attamen in his sapor publicus
 orationis, genus illud scripturae praeclarum & vt breuibus, res
 tractandi modus, in Graecis & Romanis inimitabilis, subinde de-
 sideratur. Primum autem est vt id quod cupiamus imitari accu-
 rate cognoscamus; deinde quare sit bonum sciamus. Quisquis
 liberalis id quod sit bonum amplectitur, & quae in aliis probauerit,
 vult ipse facere.

In hoc libello mihi fuit consilium vt, pro mea facultate,
 nos in artibus sine protypis parum proficere, probarem, antiqui-
 tatis laudarem exemplaria, cautionemque in iis tractandis com-
 mendarem. Non dubitari potest, magnam artium nostrarum
 partem contineri imitatione. Nam vt summam sibi gloriam vete-
 res, a quibus via ad artes est munita, peperere; sic eadem via
 bene incedere, magna est dignitas. Animi robor, aliorum
 magnitudinem considerans, de proposito suo non deterretur, at
 potius irritatur vt contendat, cum & victum dummodo strenue
 pugnaverit, honor suus maneat. Qui imitationem sufficere arbi-
 tratur, pigram suam demonstrat indolem, cum solum paratis frui-
 tur, siue contentus est iis, quae sint ab aliis inuenta. Superioris
 aetatis homines si idem egissent, nec plus effecissent quam ii quos
 sequerentur, essent haud digni, qui nobis protypa constituantur.

Vide,



Vide, quae simplex imitatio protulerit opera, partibus argui inter se non cohaerentibus, quarum aliae a magno viro, aliae ab homine inepto videntur confectae. Rursum dico, ne desit solertia, vt non modo opus antiquum, sed & artificis rationem res inueniendi diuinam, tractandique formam imitando nobis vindicemus. Nemo celebrabitur imitatione sola alieni operis, quod si tantummodo reddatur, talis æmulatio antiquitatis, quos natura praestiterit similes, faciet dissimillimos. Adde, quod plerumque facilius est plus facere quam idem.

